

nem, exclusis operibus, soli fidei vindicat & ascribit, sed potius Salutem tribuit Confessionis oris, tanquam signo de salute per fidem adeptam testificanti, ut ita ore dicatur fieri Confessio ad salutem non consequendam, vel promovendam, sed ad eandem per gratiam DEI jam collatam & fide apprehensam coram hominibus deprecandam atq; declarandam.

CXLIX. Natura enim & proprietas fidei justificantis ea est, quod in abstruso latere minimè potest, sed per ingenuam & apertam confessionem sese exerit, nomen Christi laudando & celebrando, unde haud fallax de qualitate fidei, adoptione gratuita, & futuram hereditatis caelestis possessione, potest ferri iudicium.

CL. Eadem quoque ratione, Cum 2. Corint. 7. v. 10. dicitur, Tristitia, quae secundum Deum est poenitentiam ad salutem non poenitendam operatur: ibi similiter non agitur de causis aut mediis salutis nostrae, sed tantum de ordine & modo quo DEUS in negotio Iustificationis nostrae utatur, seu quibus gradibus salutem nostram perficiat, & ad eandem nos deducat, ita nimirum, ut veram contritionem & alia pietatis exercitia tandem, DEO sic disponente, vita & gloria aeterna certissimè consequi debeat.

CLI. Phrasis ista & similes eius farinae locutiones, collatae cum expressis Spiritus sancti oraculis, ita illis sunt oppositae, ut etiam verba verbis sibi mutuò contradicere deprehendantur.

CLII. Thesis Apostolica est: Sine Lege iusticia DEI manifestata est, Rom. 3. v. 21. Item: Non justificatur homo ex operibus Legis nisi per fidem Iesu Christi, sive quod idem est: Bona opera non sunt necessaria ad salutem. Antithesis autem Majoristarum est: Bona opera sunt necessaria ad salutem.

g

CLIII.

Natura & proprietas fidei

Defensio dicti Paulini-2. Cor. 7.

3
Phrasis haec scripturae est contraria.

I.